


PRÆFATIO

PRÆFATIO.



Pharmacopœi provinciales vo-
luminoso antehac uti dispensa-
torio, ac tot tamque diversis
inibi præscriptis pharmacis suas officinas
instruere debebant, quibus amplæ phar-

PRÆFATIO.

macopœæ, quæ in magnis populosisque urbibus existunt, plerumque citra necessitatem repleri solent.

Quoniam autem usus & experientia docuerunt, tantam medicamentorum diversitatem nostris temporibus non requiri, & cum ideo a bonis ac expertis Medicis antiquæ illæ & protentæ compositiones vix amplius hodie, aut saltem rarissime præscribantur, nisi fors paucas hodiedum passim usuales inde exceperis; contigit, ut singulis annis permulta inventa fuerint obsoleta, ideoque partim effœta, partim corrupta.

Sani-

PRÆFATIO.

Sanitati igitur publicæ consultum atque necessarium judicavimus minorem hanc *Provincialem Pharmacopœam* componere, in qua solummodo bona, utilia, & pro re magis simplicia medicamenta continerentur.

Hac ex ratione multa in dispensatorio antiquo præscripta omisimus; quædam ibi inepte, quoad modum parandi, composita emendavimus; nova quædam in hac editione quarta addidimus; ceterum pauca, fors minus congrua, quibus tamen vulgus jam a tot annorum usu nimium est affuetum, ultro adhuc retinenda credidimus, ne horum sup-

PRÆFATIO.

pressione sibi detrimentum accidisse putaret.

In describenda Materie medica & in explicatione Terminorum Artis summa observata fuit brevitatis; ut major opusculi moles evitaretur: interea tamen scitu necessaria omissa non sunt.

Quæ simplicia signo (†) notata sunt, sicca asservari non debent, quoniam recentia tantum ingrediuntur compositiones varias.

Qui-

PRÆFATIO.

Quibus vero aut simplicibus, aut compositis medicamentis asteriscus (*) præfigitur, ea stricte necessaria non sunt, nec Pharmacopœus culpari potest, si hæc non semper in promptu habeat; neque tenetur ea constanter habere parata, quæ ex tempore, ut dici solet, confici possunt. v. g. *Emulsa, Rotulæ, Eleosacchara, Morfuli, Infusum laxativum &c.*

Juxta solam igitur normam hujus *Pharmacopœe Austriaco-Provincialis* tenentur in posterum Pharmacopœi suas officinas in omnibus provinciis austriacis hæreditariis exacte instructas habere, &
fi

PRÆFATIO.

fi cuncta recentia, bona, atque rite parata omni tempore deprehendantur, nil ultra desiderabitur; nisi fortassis quoddam noviter detectum, & usu medico probatum Medicamentum addi mereatur, aut simile a loci Physico præscribatur.

Datum Viennæ 1. Octobris 1780.

ANTON. L. B. DE STÖRCK,

C. R. Apost. Majest. Consiliarius Aulicus,
Archiatr. Comes, Facultatis ac Studii
Medici Præses, & Protomedicus per
universas Provincias Austriacas.

NICOL. JOS. DE JACQUIN,

A Consil. Metallicis, Chemiæ & Botanices
Professor P. & O.

JOAN. JACOBUS DE WELL,

AA. LL. Philosophiæ & Medicinæ Doctor,
Historiæ naturalis Professor P. & O. &
Collegii Pharmaceutici Antistes.

PARS